

(1287) 1288, març, 3

*Guillem de Bellveí, de la Bisbal, promet fer que la seva filla Brunissendis esdevingui dona pròpia de l'abadessa Agnès de Sant Daniel per raó del mas Basset que ha comprat a Pere Escuder · de Sant Sadurní.*

ASD núm. 278, perg. orig., 140 x 145 mm.

Sit notum cunctis quod ego Guilielmus de Beluezin de Episcopali, per me et omnes meos promito et bona fide conuenio uobis domine Cecilie, Dei gratia abbatisse monasterii Sancti Danielis, quamuis absenti tamquam presenti et uestris subsequentibus abbatissis dicti monasterii, me facturum et curaturum et operam efficaciter daturum quod cum Brunissendis filia mea excesserit etatem pupillarem infra unum annum postea ipsa Brunissendis eueniet et feminam uestram se faciet et dicti monasterii, ratione cuiusdam mansi uocati Basset quem emi a Petro Scutifero de Sancto Saturnina, qui mansus est in parrochia Sancti Saturnini et tenetur pro uobis et debetis inde habere personas; quod nisi fecerit dicta Brunissendis uel facere noluerit promito uobis dare et soluere incontinenti elapso predicto tempore uiginti solidos barchinonenses de temo nomine pene quam mihi impono pro predictis atendendis et complendis. Tamen si medio tempore prefata Brunissendis obierit, promitò predictum mansum dare uel uendere seu alio modo alienare alicui persone que sit uel inde eueniat uestra infra tempus de quo uobiscum potero conuenire. Et sic promito predicta omnia atendere et completere et non in aliquo contrauenire, unde pro hiis omnibus atendendis et complendis obligo uobis et uestris et scriptori subscripto, predicta omnia uestro nomine stipulant, omnia bona mea presencia et futura ubique.

Actum est hoc .v. nonas marcii anno Domini millesimo .ccLXXX. septimo.

Sig+num Guilielmi de Beluezin predicti qui hoc laudo et firmo. Testes huius rei sunt Bernardus de Podio capellanus de Episcopali et Dominicus Sanxo clericus de eodem loco.

Guilielmus de Spodolia, qui mandato Guilielmi Retorte hoc scripsit (s. man.). (s. man.) Guilielmus Retorta, presbiter et episcopalis ,publicus notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 577-578